

Flh. 12.



Cl. 3158 *3.*
AD ILLUSTRUM AC GE-
nerosum Dominum, D.

NICOLAVM COMI-
TEM OSTROROGANVM: AL-
TORPHIANÆ NORIBERGENSE-
um Academiæ Rectorem magnificum.

HISTORIA

PETRI ET PAVLI, SAN-
CTORVM CHRISTI APOSTOLORVM:
QVORVM DIE FESTO, QVI EST XXIX. IVNII,
Anno CIO IO LXXV. Schola Altorphiana
solenniter introducta fuit.

ITEM

DIALOGVS

HOSPITIS ET SPVDÆI,
DE FESTIVITATE SCHOLASTICA:
QVAE IN PERPETVAM REI MEMORIAM
celebrari quotannis, eodem die,
solet ibidem.

AVTORE

M. CASPARO ODONTIO, IN
eadem Academia P. C.

ALTORPHII,

CIO IO LXXXIV.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.



ILLVSTRI AC GENERO-
SO DOMINO, D. NICOLAO CO-
miti ab Ostrorog: *Academia Altorphi-*
ana Rectori magnifico

S. P. D.

Cras ubi candentem terris patefecerit orbem
Cynthius, ingrediens duodena per astra, jugales
Ignivomosq; regens inflexo tramite coeli;
Ultimus exacti claudetur terminus anni:
Quo, generose Comes, Clarij facer ordo Lycei
Est tibi latanti gratatus pectore: munus
Cum grave magnifici Rectoris, & ardua rerum
Magnarum, Aonii caperes moderamina regni.
Ut tum voce tibi viva sum fata precatus
Prospera: & ominibus faustis tua sceptrata secutus:
Sic ego jam tenui contextis carmine verbis,
Gratulor extremo gravium de fine laborum.
Difficilis labor est, ac sollicitudine plenus:
Ingentesq; parit curas, ac rædia, habenas
Imperii tenuisse sacri: totumq; Dearum
Thespiadum studiis dictum moderarier agmen.
Magna est his nostris morum corruptio seclis,
Contemptus legum summus, virtutis, & artis:
Improbitasq; suos magis ac magis effera fines,
Imperiumq; studet proferre: sacrasq; Camænas
Subjecisse sibi: victisq; imponere leges.
Hinc est in tanto cunctarum turbine rerum,
Virtutumq; gravi morbo, tristiq; senecta
Iam delirantis mundi, prudenter agendum.
Regula non stricti semper rigidissima juris
Est adhibenda: nec ad vivum sunt protinus ipsum
Cuncta secanda: sed interdum quasi lumine clauso

A 2 Præter-

Præteriisse decet, quosdam nec cernere nævos.
Non est ad regni moderamen idoneus ille,
Dissimulare nequit vultu qui sæpe sereno:
Sed regere ad certam subito cupit omnia amussim.
Triste supercilium, tetriciꝫ; severa Catonis
Frons, oculiꝫ; minas, atq; ora vomentia flammæ,
Sola gubernandis non sunt accommodata regnis.
Sed placidi vultus, dulcem spirantia amorem
Verba, nec obscuri præbentia signa favoris:
Hisq; simul gravitas comes addita, sacra Lycei
Sceptra regunt melius longè, turbamq; ferocem,
Effrenesq; animos fixa sub lege coercent:
Ad pœnasq; ultro perducunt sæpe rebelles.
At cum blanda cadunt sine pondere verba: nec ullum
Inveniunt exclusa locum: distortaꝫ; gaudent
Pectora suscepto vitiorum pergere cursu:
Tunc opus est iræ totas effundere habenas:
Et sævo rigidas contundere fulmine mentes:
Pœnarumq; moras gravitate rependere longas.
Artis ut in ponto est, tumidis parere procellis,
Fluctibus horrifonis, tempestatiq; furenti:
Visa licet pavidam nequeas ad littora puppim
Vertere, & optatos dudum contingere portus:
Sic quoq; in Aonidum pelago, regnoq; scholarum,
Sceptra ad præsentis mores, & tempora seculi,
Est artis, finxisse: licet non omnia possis
Exigere ad normam, scriptaꝫ; volumina legis.
Nec solum improbitas vitæ, petulantia morum,
Ordinis ac legum tristis contemptus, & atrox
Ad scelus omne furor, Rectoris mille flagellat
Officium curis, ac torto verberare pulsat.
Quin etiam, licet ipse fide sua munia præstet,
Qua decet, ac fas est, & mens jurata requirit:
Semper Aristarchos, & iniquo pectore Momos,

Cen-

Censoresq; tamen, qui carpant omnia, Rector,
Atq; magistratus quivis, non absq; dolore,
Cogitur ingenti pariter cum mole laborum
Ferre. Igitur merito, Comes illustrissime, tecum
Lætor ego : officii quòd terminus ultimus instat :
Officii, functus totum quo rite per annum,
Sollicitaq; fide, cura, studioq; fuisti.
Dii tibi sint faciles : & nostri templa Lycei
Promoveant, fervent, doceant, tueantur, & ornent.
Quod superest, Comes ô illustris, & inclyte Rector,
Carmina, Apostolicis partim, partimq; profanis
Quæ fero de rebus, Clariæ festoq; cohortis,
Condita disparibus numeris, nec divite cultu
Splendida, mente precor capias, vultuq; benigno.

T. Illust. Generosit.

Observantiss.

M. Casparus Odontius.

A 3

HISTO-

HISTORIA
PETRI ET PAULI,
SANCTORVM CHRISTI
APOSTOLORVM.

QVandoquidem Phæbus duodena per astra volutus,
Stelligera nitidum reddit ab arce diem:
Quem divo sacrum Pauloq³, Petroq³, dicavit,
Priscorum quondam turba verenda patrum:
Quoq³, novem domus ante recens feliciter annos,
Pieridum doctis est reſerata choris:
Hic, Pegneſicola ſanctis ubi legibus urbis
Sunt Altorphiaci ſubdita rura ſoli.
Ergo Peligni ſervans veſtigia vatis,
Imparibus neſtam libera verba modis:
Mollibus ac numeris conabor dicere vitam
Inclyte Paule tuam, diveq³ Petre tuam.
Summe Deus, rerumq³, potens moderator, & autor,
Suscipe propitius, quas ego fundo, preces.
Sit tua cœleſtis quaſo mihi gratia præſens:
Et mea ſidereo numine corda regas:
Ut, quoſcunq³, ſtruo verſus, quæ carmina pango,
Reſpiciant laudem nominis illa tui.
Nil ſine divino confeſta pœmata flatu:
Nil ſine cœleſti flamme vena poteſt.
Inde favere Deus facilis, cæptoq³, labori
Aſpirare, tua pro bonitate, velis.
His ita præmiſſis precibus, ſummoq³, vocato,
Cui mundi paret machina trina, Deo:
Nunc mihi carmen erit ſanctus prior ordine Petrus:
Hinc breviter Pauli res mea Muſa canet.
Non ſplendente ſatos magnorum ſtirpe parentum
Chriſtus Apoſtolicum munus obire iubet.

Nes

Nec claros opibus, multis nec honoribus auctos
Praecones verbi seligit ille sui:
Sed genitos humili tantum de stemmate patrum:
Ac homines parva sortis in orbe, vocat:
Ipsius aetherii qui spargant semina verbi:
Et populis monstrent dulce salutis iter.
Non erat illustri progressus sanguine Petrus:
Nec possessor opum dives, & amplus erat.
Nam Galileorum Bethsaide natus in urbe,
Non habuit patriæ splendida tecta sua.
Illius genitor dictus cum nomine Jonas,
Urbana medio de grege plebis erat.
Exercent nati similes plerumq; labores:
Hasq; colunt artes, quas coluere patres.
Inde sibi victum Jonas fortasse paravit,
Hunc sibi quasi vit qua ratione Petrus.
Petrus at instructus nassis, tortisq; sagenis,
Piscibus in liquidis insidiatur aquis.
Qui dum fortè leves hamos, ac retia jactat
In mare, cui nomen dat Galilæa suum:
Et germanus adest frater, sociumq; laborem
Andreas docta, qua valet, arte juvat:
Ecce vagas noti spaciatus ad æquoris undas
Piscari fratrem Christus utrumq; videt.
Quos ubi conspexit, qui conspicit omnia solus,
Divino tales misit ab ore sonos:
Ponite vos casses, & nassas ponite: vestras
Delasset posthac nulla sagena manus.
Quin mea præscribam vestigia certa secutis
Piscandi vobis dulce, novumq; genus.
Nam deinceps homines cælestis arundine verbi,
E Stygis horrenda vos capietis aqua:
A scelerumq; lacu mentes revocabitis: atq;
In portum vitæ restituetis eas.

Hæc

Hæc ubi fatus erat Christus servator Jesus,
De manibus ponunt retia laxa suis:
Atq; capessentes fidi pia jussa magistri,
Quæ sit ad astrapoli semita recta, docent.
Andreas Petri frater tamen antè secutus
Dogmata Baptistæ sacra, viamq; fuit:
Quàm casses illum cum fratre Simone trahentem,
Acciret summi Christus imago patris.
Felix, qui Christi sequitur præcepta vocantis:
Ac stolidi fluxas deserit orbis opes.
At non Andrea mens est describere vitam:
Sed cano Simonis splendida facta Petri.
Prima nomen erat Simon ab origine Petro:
Hoc sacra Matthæi ceu monumenta probant.
Immotæ Christus tandem de nomine petra,
Conveniens illi nomen habere dedit:
Quando suum profitens constanti voce magistrum,
Dat fidei specimen, signaq; vera sua:
Afflatusq; sacri uento spiraminis, inquit:
Es Christus vivi filius ille Dei:
Ac illi reddens Christus responsa, vocaris
Petrus, & es Petri nomine dignus, ait:
Sit mea præcelsam super hanc ecclesia petram
Structa: sit à Stygiæ tuta furore ducis.
Qui tua cunq; pius cognoscet dogmata cætus,
Dogmata stelligero quæ patre dante tenes:
Hic Erebi contra portas, se vosq; Tyrannos,
Immotus solida rupis ad instar erit.
Porrò Salvator Cephæm quoq; nomine dixit:
Uocula quæ terris est oriunda Syris.
Siq; uelit quisquam Latia convertere lingua:
Seu petra, seu rupes, seu lapis, illa sonat.
Conuenit ergo Cephæus Syriis vox nata sub oris:
Cecropioq; Petrus dictio creta solo.

At

At quid necto moras? quid scrutor nomina? sensus
 Illorum multis quidve recludo modis?
 Petrus Apostolici supremus in ordine cætus
 Extitit: obtinuit præcipuumq; locum.
 Ad se, nocturnas gradiens super æquoris undas,
 E cymba Petrum Christus adire jubet.
 Dumq; nigri rapido perculsus turbine venti,
 Immergi tumidis incipiebat aquis:
 Fluctibus in mediis clamabat: Christe, benignam
 Fer mihi, cunctipotens auxiliator, opem.
 Nil mora, Christus adest: dextram protendit: & illum
 Sustinet: horrissonis inq; tuetur aquis.
 In se sperantes Christus non deserit unquam:
 Ipse juvare potest: ipse juvare solet.
 Ipse pios dubia tegit in discrimine vitæ:
 Prostratos facili sublevat ipse manu.
 Ardua Thaboris Salvator culmina montis
 Cum petiit, tellus quem Galilæa tenet:
 Mutatusq; fuit faciem fulgore corusco:
 Ac nituit vestes undiq; more nivis:
 Talia tum spectans aderat miracula Petrus,
 Ambobus natis cum, Zebedæe, tuis.
 Porrò censors veniunt ad littora missi:
 Æraq; pro veteri debita lege petunt.
 Quos placido postquam Christus sermone moratur,
 Submissa mandat talia voce Petro.
 Vade, refert: & quem primum de gurgite piscem
 Traxeris, hunc intra, finde, numisma latet:
 Quod nos pendemus pro consuetudine regi:
 Nil quia præterea, quod numeremus, adest.
 Jussa facit senior: piscem capit: invenit ore
 Illius argentum: contribuitq; viris.
 O admirandam divini numinis artem:
 Qua facit, ut pisces æra corusca ferant!

B

O quàm

O quàm magna tenet sanctum fiducia Cepham,
 Qui nummum piscis ventre latere putat!
 At licet ornatus donis vix pluribus alter:
 Aut major Petro religione fuit:
 Attamen ille suam gessit quoq; pectore labem:
 Primæviq; tulit crimina tetra patris.
 Hinc Christus verbis gravioribus increpat illum:
 Languida dum victus membra sopore jacet:
 Nec paulum tanto vigilans discrimine rerum,
 Expendit Domini fata vicemq; sui.
 Hinc quoq; culpatur, quando temerarius ensem
 Corripit: hostiles aggrediturq; manus:
 Pontificisq; petens famulum male mulctat: & aures
 Hunc mutilans patitur non habuisse duas.
 Hinc ter per juro fidum negat ore magistrum:
 Dum pavet, ac vitæ certa pericla timet.
 At postquam cepit propter delicta dolorem,
 Agnoscens culpæ pondera magna suæ:
 Propitius veniam Christus concessit: eumq;
 Salvificam rursus iussit inire viam.
 Quin ipsi curam sancti mandavit ovilis,
 Quod roseo sparsit sanguinis imbre sui.
 Ergo redemptoris cum functus in orbe fuisset
 Munere siderei filius ille patris:
 Et sua subducens terrena corpora moli,
 Astrigeri peteret regna beata throni:
 Tum Cephas, magno crescens ecclesia fructu,
 Sollicitus, rectè quo regeretur, erat.
 Illam constituit, juvit, provexit, adauxit,
 Consilio, cura, sedulitate, fide.
 Damnatiq; locum rursus supplevit Iudæ,
 Matthiam undenis consociando viris.
 Horrendam furti poscens pro crimine pœnam,
 Oris Ananiam sustulit ense sui.

Vxor

Vxor & illius pœnas persolvit easdem:
 Quòd clandestina conscia fraudis erat.
 Ardua qui sequitur Jesu vestigia Christi,
 Hunc plerunq; solent aspera fata sequi.
 Ut sunt exilium, ludibria, terror, egestas,
 Exitium, carcer, crimina, probra, minæ.
 Petrus in obscuro conclusus carceris antro,
 Sub Solymæ quondam mœnibus urbis erat:
 Nempe quòd absq; metu, constanti mente doceret
 Ætherii passim jussa verenda patris.
 Quid fit? nocte domus subito tremit: atq; patefrens
 Sponte fores: ultro vincla soluta cadunt.
 Egreditur: liberq; movet vestigia Cephas
 Angelicum Christo suppeditante ducem.
 Nil timet: astrigeri mysteria pergit Olympi
 Impavido cunctis spargere corde locis.
 Signaq; cœlestis vi plurima numinis edit:
 Doctrinaq; probat dextera sensa suæ.
 Difficiles quorum torquebant corpora morbi,
 Hos tristi validos jussit abire toro.
 Vitalis grato perfunctos munere lucis
 Ad vitæ rursus lumina cara vocat.
 Surdis auditum reparat: mutisq; loquendi
 Vim: cæcis visus pristina dona refert.
 Eripiens homines diro Phlegethontis ab amne,
 Voce Dei Sathanam cuncta potente fugat.
 Fictitios veterum cultus, & sacra Deorum
 Evertens, verum pandit ubiq; Deum.
 Multa mari, terraq; fuit mala plurima passus:
 Per longas adiit disita regna vias.
 Puppe secans æquor Bithynas tendit ad oras:
 Et Galatas, Pontum, Cappadocasq; subit.
 Eucleat sacri cunctis anigmata verbi:
 Ac veteres ritus deseruisse jubet.

Inde per Ægeum, per Cycladas, Joniumq;
 Per mare, Romulidum mœnia celsa petit.
 Legitimi socio coniux sub fœdere lecti
 Quod fuerit Cephæ, vel satis inde patet:
 Quod Christus febrim, Matthæo teste, flagrantem
 A socru divi depulit ipse Petri.
 Hic ea, de sancta quæ Petri conjugè scribit
 Eusebius, breviter commemorare placet.
 Ad grave supplicium Cephæ cum ducitur uxor,
 Propietate feram uim subitura necis:
 Aspicit hanc præsens letanti corde maritus:
 Et gratabunda talia voce refert:
 O dilecta mihi conjunx! o sola voluptas!
 Afficiunt animum gaudia quanta meum!
 Quod tibi perpetuum summi gestamen honoris
 Martyrii, Christo dante, corona venit.
 Tu modo sis constans: & forti pectore mortis
 Spicula, pro vera religione, feras.
 Mox æterna tibi pensabunt gaudia luctus:
 Stellanti capies quæ super axe poli.
 Non genus est aliud mortis præstantius ullum,
 Quàm propter Christi nomen obire necem.
 Qui Christi fundunt propter pia dogmata vitam:
 Hos manet astrigere vita beata domus.
 Hactenus hæc. Altis Romæ sub mœnibus urbis,
 Forte Magus Simon nomine dictus, erat:
 Cui gens divinos ignara ferebat honores:
 Ac venerabatur numinis instar eum:
 Erigit huic statuam: titulos ascribit & illos:
 Hæc sacra Simoni sunt monumenta Deo.
 Insigni spargens mendacia turpia fraude,
 Se plenum sancti flaminis ille refert:
 Tartareiq;, nigris Orci qui præsidet antris,
 Auxilio præstat facta stupenda, ducis.

Aërium

*Aërium per iter quondam se jaëtat iturum,
In populo præsens dum quoq; Petrus adest.
Præstigiis ludens sursum per inania cæli
Tollitur: ac veluti nubila tranat avis.
Talia non patiens alacris ludibria Cephæ,
Aggreditur summum voce precante Deum:
Et rogat, ut servum Sathana fallacibus ausis
Inflatum, posthac non tolerare velit:
Sed statuens exempla suæ certissima dextræ,
Tartareum pœna frenet atroce nefas.
Annuit his precibus devota mente profectis,
Quem metuit mundi fabrica magna, Deus.
Cum stridore Magus subito, quasi plumbea moles
Decidit: ac duram corpore plangit humum.
Hærent ossa solo, fuis attrita medullis:
Impius ad stygias spiritus intrat aquas.
Ergo sortitur meritum fraus improba finem:
Deceptorq; dolo præmia digna capit.
I nunc, & rapido sursum contende volatu:
Divinusq; tibi fac habeatur honos.
Ast ego rem paucis istam perstringo Camænis:
Nec refero sancti qualibet acta Petri.
Quæ si cuncta velim digno pertexere versu,
Maius Odyssea conficeretur opus.
Deniq; Romuleam Christi dum verba per urbem
Seminat: ac veram voce sonante fidem:
Martyrii sacro cinctus diademate vicit
Horrida constanti tormina mente necis.
Bellua dira Nero: mundi execrabile monstrum,
Impius Imperii tum moderator erat:
Ausonii flavas Tybridis cum Petrus ad undas
Explicat ætherii sancta statuta patris:
Ac hominum cætus cælestia jura professos
In recto verbi tramite ductor agit.*

Hoc non ferre potest atrox Nero bestia : Cephæ
Mandat agi in rigida turpia ligna crucis :
Affigiq; jubes, pedibus quò tendat in altum :
Ore sed in verso contueatur humum.
Idem Christi adum furiosus cade Tyrannus
Causa fit interitus, Paule verende, tui.
Abscindiq; gulam ferro tibi mandat, eadem
Luce, Petrus fixus qua cruce sanctus erat.
Scilicet illa dies Julii fuit ante Kalendas
Tertia divinis exitiosa viris :
Vnam post Christum natum trieterida, Phæbi
Lampas ubi, tredecim lustraq;, clara tulit.
Ergo dies summis Heroibus una duobus
Eripiens vitam, cælica regna dedit.
Hinc quoq;, lux semper mensis penultima Junii
Ambobus Divis annua festa refert.
Sic breviter cecini Galilæi gesta Simonis :
Nunc Pauli superest ut quoq;, facta canam.
Urbs jacet in Cilicum Tharsos celeberrima campis,
Quam Cydin mediam fluminis unda subit.
Quamq;, velut perhibent veterum monumenta virorū,
Acrisioniades nobile struxit opus.
Illa dedit Saulo superas in luminis oras
Egresso patrios urbs celebrata lares.
Qui Saulus primis atrox contemptor ab annis,
Maximus & Christi nominis hostis erat.
Ne veterum leges pereant, ritusq;, sacrorum,
Vndiq;, Christigenis tristia damna parat.
Quoq;, magis sancti cælestia jussa propagant :
Hoc delere magis funditus illa cupit.
Tantus amor priscos ritus defendere : tantus
Fervor eum veteris religionis habet.
Deniq;, vix tenero cum jam pubesceret ævo,
Fit quoq;, sacrilegi pars quotacunq;, gregis :

201

Qui lapidum jactu Solymam violentus ad urbem
Insano Stephani membra furore premit.
Cujus post Christum crudeli morte peremptum,
Martyrii decorat prima corona caput.
Nec crescens animos mutat juvenilibus annis:
Impius inceptum sed magis urget opus.
Omnibus intentat lethum crudelibus ausis
Christicolis: & quos hisce favere putat.
Donec eum Stygiis cœli regnator ab umbris,
Ad supera revocat lucida tecta domus.
O quantum nostros arbitria cœlica captus
Vincunt! o summi sensa profunda Dei!
Saulus erat cunctis terror divina secutis
Dogmata: pollutus sanguine, Saulus erat.
Nemo potest causas operum sat nosse Tonantis:
Consiliumq; satis cernere nemo potest.
Digreditur quondam Solyma truculentus ab urbe,
Altus equo, galea splendidus, ense minax.
Primorumq; satis jussis factururus, ubiq;
Sub fera Christigenas mittere vincla cupit.
Ac instar pecudum, cunctis ad mœnia secum
Raptatis, pœnas imposuisse graves.
At prope contigerat veteris jam rura Damasci:
Jamq; tumescebat cœde, furore, minis.
Qualis nocte gravi rabie stimulatus edendi,
Ad caulas ululat, ventre crepante, lupus:
Ac ubi balatus tuti sub matribus agni
Exercent, frustra voce fremente furit.
Protinus astrigera Deus hoc specularis ab arce,
Sumit in effrenem corda benigna virum.
Mox nova lux illum cœlo circumdat ab alto:
Æthra repentino fulmine pulsa tremit:
Terraq; terribili trepidat concussa fragore:
Saulus & excussus precipitatur equo.

Hinc

Hinc venit horribilis liquidas vox missa per auras:
Quid me tam rapido Saule furore petis?
Abstrahete te diris, te diris abstrahete cæptis:
Arma Deo frustra qui movet, ille movet.
Adversus stimulos calces illidere noli:
Noli stelligero bella parare Duci.
Quem tu persequeris, sum rex ego Christus Iesus:
Hunc timeant cæli sidera, terra, mare.
Ille pavens animo, vix talia verba profatur:
Quæ mihi, summe Deus, sint facienda, refer.
Hæc ubi dixisset, vox altera fertur ad aures,
Desuper igniferi cardine missa poli.
Surge: repelle metus: urbi succede Damasco:
Hic, tibi quæ restent perficienda, scies.
Turba stupet comitum, quæ voces auribus haurit
Hæc: sed autorem nescit, & unde sonent.
Ager surgit humo vix tandem Saulus: iterq;
Propositum frustra cæcus inire parat.
A sociis igitur vicinam ductus in urbem,
Decumbit per tres, & sine luce, dies.
Nec dapibus reficit, nec potu corpus: amaras
Dat lacrymas: gemitus continuosq; trahit.
Ananias tandem, vir servantissimus æqui,
Ætherio Saulum numine jussus, adit:
Atq; secuturus summi mandata parentis,
Talibus ad miserum vocibus usus, ait.
Sis animo presens, & acerbis exue curas:
Huc gressus, Domino precipiente, fero.
Rursus ut accipias amissi luminis usum:
Et sacra cor repleat flaminis aura tuum.
Hæc ubi fatus erat: tanquam labuntur utroq;
Ex oculo squamæ: visus & acer adest.
Inde salutiferis perfusum tingit in undis:
Christi adûm sancto consociatq; gregi.

Hinc

Hinc super imponit dextram: munusq₃ docendi
Committens, populos erudiisse jubet.

Mox quoq₃ mutatis animis, mutatur & ipsum
Nomen: & est Paulus, qui modò Saulus erat.

Vox autem Saulus donum, munusq₃ petitum
Signat, Judei proprietate soni.

Denotat in Graio Paulus sermone, quietum:
In Latia modicum voce notare solet.

Et jam summa fluit rerum sapientia Paulo:
Sermoq₃ fecundi fluminis instar abit.

Jam celebres populi cætus invisere gaudet:
Jam facit in medio verba diserta foro.

Alma redemptoris pandit miracula Christi:
Illiusq₃ jubet cælica verba coli.

Multa super caso queritur: super arbore multa
Infami: pœnas enumeratq₃ graves.

Hunc, ait, insontem pro sontibus esse peremptum:
Hunc, ait, humanum restituisse genus.

Talibus auditis, homines stupor occupat ingens:
Miranturq₃ viri quid sibi dicta velint.

Improvisa movet pavidas mutatio mentes:
Sunt, sperata minus cuncta, tremenda magis.

Nec mora, cum Solymam rursus venisset in urbem:
Res ea mirandis est agitata modis.

Pars dubitant, num sit Saulus: sub imagine Sauli
An potius sese larva dolosa ferat.

Pars illum simulare putant solummodo Christi
Dogmata: Christigenis sic ut obesse queat.

Deniq₃ concurrunt proceres: hortantur ut arma
Pro patria cives religionem gerant.

Sed nihil ille minas, nil se va pericula curat:
Propositum forti pectore tendit iter.

Quoq₃ magis pugnant: hoc fulminat acrius ore:
Esse docet veram Christicolûmq₃ fidem.

C

Non

Non sacrosanctas, inquit, se tollere leges:
Abdita sed legum querere sensa, refert.
Grandiloquo flammæ radiant dicentis ab ore:
Vox instar tonitru grande strepentis, abit.
Dum loquitur, pressis tenet alta silentia linguis:
Ac placidos motus pectore turba capit.
Ergo Palestinis postquam sparsisset in oris
Semina doctrinæ Christe sacrata tuæ:
Sidereo pulsus divini numine flatus,
Mox alias etiam flagrat adire plagas:
Et passim plantans æterna dogma salutis,
Gentibus ignotam sternit ad astra viam.
Nil timet insidias mundi, Sathanamq; ferocem:
Quelibet ingenti corde pericla subit.
Hei mihi, quàm magnos terra, pelagoq; labores
Pertulit! heu passus quàm mala multa fuit!
Quàm varias gentes, regiones, oppida, tractus
Lustravit, Christi dum pia jussa docet!
Immemor ille cibi, potus, placidiq; soporis,
Fungitur officio nocte dieq; suo.
Per medios hostes, per aquas, per saxa, per ignes,
Omnipotens Dominus quem comitatur, abit.
In sporta quondam residens demittitur altis
Mœnibus: hostilem vimq; manumq; fugit.
Sæpe fuit jactus lapidum perpressus iniquos:
Ejus ubi vitam plebs furiosa petit.
Publica non semel est casus per compita virgis:
Fœdaq; tranquillo pectore flagratulit.
Missus in horrendas latebrosi carceris umbras,
Gustavit nigro pessima quæq; specu.
Haud secus, ac portans contagia tristia secum,
Non intra missus mœnia sæpe fuit.
Sub dioq; jacens ventos toleravit, & imbres:
Sustinuitq; famem, sustinuitq; sitim.

Concita

Concita non ejus potuere minantibus undis
Equora propositas destituisse vias.
Terrate contusa, noctemq₃ diemq₃ profundis,
Naufragus insani sub maris egit aquis.
Non hic insultus hominum, tristesq₃ ferarum
Incurfus, breuitas me recitare sinit.
• Quòd si conarer perstringere singula tantum,
Viribus ingenii grandius esset onus.
O fortunatos homines, quibus aurea Pauli
Exaudire datum verba, fidemq₃ fuit!
Heu, quàm terribili Rhetor sacer ore tonabat,
Exagitans populi voce fremente scelus!
Heu, quàm sideream verbis spirantibus auram
Explicuit nomen, magne Jehova, tuum!
Quàm verò placida mollis dulcedine lingua
Solari miseros noverat ille greges!
Huic merito summas tribuit facundia laudes,
Cui linguam Sanctus Spiritus ipse regit.
Deniq₃ mirandis firmans sua dogmata rebus,
Edidit in variis facta stupenda locis.
Nam fuit, humanos longè superantia captus,
Huic impertitus splendida dona, Deus.
Hinc, quibus imposuit sanctas in tempora palmas,
Est datus è cali Spiritus arce sacer.
Agrorum tangens languentia corpora curat:
Morborumq₃ potens submovet omne genus.
Quin Pauli si quis tegetur vestibus ager:
Dira statim liquit morbida membra lues.
Dissolvit mutis constricta vincula linguae:
Et dedit exacto qualibet ore loqui.
Spectandi deerat quibus exoptata facultas,
Lux oculis horum reddita clara fuit.
Auditus fuerat si quisquam muneris expers:
Paulus ei promptam ferre solebat opem.

Non curvis ullum plantis decumbere passus,
Mox pedibus firmis surgere iussit humo.
Fortè puella fuit Graiis oriunda sub oris:
Cui Stygio plenum demone pectus erat:
Cumq; putaretur res dicere posse futuras,
Fraudibus ingentes accumulavit opes.
Paulus ab hac Sathanam verbi virtute fugavit:
Eius & implevit numine corda sacro.
Ob magicam vates quidam celeberrimus artem
Dum cupit in Paulum verba probrosa loqui:
Protinus aspectu confundit Apostolus illum:
Et cecum reddit, cui modò visus erat.
In somno juvenis specula delabitur alta:
Exanimiq; jacet corpore stratus humi:
Quem super incumbens, pia numina Paulus adorat:
Ac ita vitalis flamma sub ossa redit.
Olim sarmentis idem componit acervum:
Ut vim constructo frigoris igne levet.
Exilit inde nocens crudeli vipera morsu:
Ejus & invadit bestia dira manum.
Non tamen illa potest diro nocuisse veneno:
Sed mox, in flammis precipitata, perit.
Sic igitur Paulo lethalis cedit Echidna:
Nec solitas vires debile virus habet.
Predicit pluvias quondam, magnasq; procellas,
Cum facies cæli tota serena foret.
Et tamen è sociis fracta rate de fore nullum,
Augur fatidico providus ore canit.
His, aliisq; fuit testatus dogmata signis,
Edita stelligero dogmata sacra polo.
Quò fuit arcana ductus ratione: Tonantem
Audiit ac summum mystica verba loqui.
Omnia quæ non sunt humanae prodita genti:
Multa sed occulta religione latent.

Ille

*Illā reclusa patent nobis tamen omnia: Cæli
Lucida præmonstrant quæ super astra viam:
Jamq̄, novis cunctas Asiæ permoverat oras
Numinibus, cultu, religione, sacris.
Jam præstans Ephesus, jam nobilis ære Corinthus
Nutant: de veteri subdubitantq̄, fide.
Dicentemq̄, virum doctæ mirantur Athenæ:
Prædicat ignoti dum nova sacra Dei.
Parsim religio veterum languescit avorum:
Cultibus antiquis subtrahiturq̄, decus.
Cum Solymæ rursus succedere mœnibus urbis,
Ipsi vincla licet sint metuenda, cupit:
Hortatur multum: precibusq̄, frequentibus instat
Sancta cohors, illuc ne rediisse velit.
In mentem revocet sibi facta priora: nec ultrò
Exitii causam præbeat ipse sui.
Ille nihil quidquam monitusq̄, precesq̄, moratus,
Magnanimo cæptum pectore carpit iter.
Præsciis arcta licet sibi necti vincula cernat,
Hic, ubi tela necis Christus acerba tulit.
Ausoniaq̄, sciat portendi funus in urbe:
Nil tamen hæc illum fata futura movent.
Ad Solymos revenit populos formidinis expers
Omnis: ubiq̄, serit semina vera Dei.
Messiamq̄, canit Christum, qui sanguine fuso,
Reddiderit cunctis cælica regna piis.
Dum capitur celebri tandem Salomonis in æde:
Et vinctus rigidis ceditur usq̄, flagris.
Romuleamq̄, venit ductus captivus in urbem:
Pro Christi, sacro nomine casus obit.
Sic etiam Pauli, brevitatis amore Thalia
Nostra flagrans, cecinit dogmata, facta, necem.
Alme Deus, triplex uno sub numine numen,
Sit tibi pro verbo gratia summa tuo:*

Quod per bisse nos proceres, sanctosq; Prophetas
Sparsisti late quam patet orbis opus.
Quodq; per assiduos etiam, fidosq; ministros
Exponi nobis hac regione sinis.
Quæsumus hoc contra Sathanam, sævosq; Tyrannos,
Hactenus ut, deinceps asseruisse velis.
Esse tuum qui se mentitur in orbe Toparcham,
Dum potes è solio trudere, trude Papam:
Eius & horrenda grassantes cæde catervas
Obrue Tartareis precipitanter aquis.
Tu causam defende tuam: tu suscipe curam
Ipse tui Pastor, duxq; caputq; gregis.
Cernis, ut insultent tetri, fera monstra, Suitæ:
Inq; tuis versent turpia rostra satis.
Dum cupiunt ipsos sanctis cum frugibus agros,
Spurcorum solito perdere more suum.
His obsiste Deus forti ter maxime dextra:
Sentiât ultrices gens scelerata manus.
Ex hortopellas immundos fortiter hircos:
Nec carpant verbi germina sancta tui.
Erue nodosos, & iniquo pondere truncos,
Nulla quibus sani mica vigoris inest.
Disidii cohibe fabros, rabidosq; Cyclopas:
Ne lethale suum virus ubiq; vomant.
Et tua vera semel complexos dogmata cunctos
In pura retine, salvificaq; fide.
Excindas diros, Saracenicæ semina, Turcos:
Sanguineus sileat Martis in orbe furor.
Pelle famem: pestis procul hinc contagia pelle:
Tempora sint populis prosperiora tuis.
Deniq; Noriacum tota cum plebe Senatum
In columem vera sub pietate, regas.
Huic quoq; virtutis sedi, pietatis & artis,
Propitius semper tutor adesse velis.

Avertas

*Avertas quæcunq̄, sacris obstare Camenis :
 Aoniisq̄, solent damna parare scholis.
 Pax liget unanimes cætus tranquilla docentum :
 Vna fides, unum cor sit, & unus amor.
 Discentum teneras etiam moderare cohortes :
 Muneris ut pergant debita jussa sui.
 Sic tua Adelphorum semper florebit in urbe
 Fama, decus, verbum, gloria, nomen, honos.
 Sic poterit Schola nostra suum celebrare quotannis
 Natalem, solita relligione, diem.*

Dialogus
HOSPITIS, ET SPV-
DAEI, DE FESTIVITA-
TE SCHOLASTICA, APVD
ALTORPHIANOS.

HOSP. **D**ico tibi juvenis veram dilecte salutem :
Vtq̄, mihi liceat pauca rogare, rogo.
SPVD. *Cuncta tibi reprecor, qua tu mihi fausta precaris :
 Si qua voles ex me quarere, quare modo.*
HOSP. *Hanc ego jam venio primum peregrinus in urbem :
 Ante Palacome nec mihi visa fuit.
 Quid sibi queso volunt fixæ per publica frondes
 Compita? quid passim gramina sparsa notant?
 Tanta quid accurrit cunctis excita plateis
 Turba? quid in medio statq̄, manetq̄, foro?
 Et cur armati spectantur in ordine cives?
 Cur resonant toties carmina rauca tubæ?
 Forsitan illustri genitus de stemmate princeps
 Huc aliquis veniens, urbe receptus erit :
 Cujus in adventum tam splendida pompa paratur :
 Tantus & idcirco plausus in urbe sonat.*

SPVD

SPVD. Est aliud quiddam: tua te sententia fallit:
 Quidq̄ sit hoc paucis commemorabo modis.
 Tu faciles præbe, quas profero, vocibus aures:
 Et mea sub memori pectore verba tene.
 Noricus ingenita ductus pietate Senatus:
 Perpetua dignum laude peregit opus:
 Hujus & ingenti sumptu sub mænibus urbis,
 Condidit egregiæ fulgida templa Schola.
 In quibus ætherii tradantur dogmata verbi:
 Et quidquid Sophia campus amœnus habet.
 Sol ubi quingentos, & mille peregerat annos:
 Quinaq̄ cum denis lustraperacta forent:
 Splenderetq̄ dies mensis penultima Junii,
 Qui sacer est Petro, diveq̄ Paule tibi.
 Tunc ad aperta schola solenni janua ritu,
 Ac intro juvenum ducta caterva fuit.
 Quos inter juvenes & ego puer alta subibam
 Limina Pegaseis ædificata choris.
 Si tibi jam dicti præclarum temporis actum:
 Et celebrem pompam significare velim:
 Deseret antè dies: fessos & in æquore tinget,
 Quos regit obliquo limite Phæbus equos:
 Quàm vel dimidiam festi pertexere partem,
 Introducta fuit quo Schola nostra, queam.
 Partibus à cunctis, castellis, urbibus, agris,
 Huc spectatorum maxima turba ruit.

HOSP. Ex dictis quanquam videor mihi noscere totam
 Rem: tamen ut pergās dicere plura, peto.
 Nam licet abductus studiis puerilibus annis,
 Pauca sciam Latio reddere verba sono:
 Attamen egregiis decoratos artibus omnes,
 Prosequor ingenti semper amore, viros.
 Deq̄ scholis illos cum doctas audio voces
 Edere, cor tentant gaudia summa meum.

SPVD.

SPVD. Sol igitur quoties Petro, Pauloq, dicatum
Astrigero celi reddit ab axe diem:
Alma novitoties recoluntur festa Lycei:
Festa, celebrandis lux quibus ista micat.
Frondebis inde vides letas vernare plateas:
Et viridi sparsam gramine cernis humum.
Hinc cives nitidis induti scilicet armis,
Ut nihil huic pompa desit, adesse solent.
Ast equites, tectosq, nigro velamine currus,
Ad Claria properant qui sacra festa scholae,
Despiciens numerat turri speculator ab alta:
Inflat & altisona saepius ara tuba.

HO SP. Ecqui sunt illi, modò quos intrare sub urbem
Cernimus? eximiis quiq, vehuntur equis?

SPVD. Non mihi sunt noti: quis enim, licet usq, labore,
Intanto quemvis agmine nosse queat?
Huc oculos converte tuos: & respice cœtum,
Ordine per medium qui meat ecce forum.
Ecce novenarum studiosa juvena sororum,
Classica distincto nomine dicta, venit.
Classica nomen habet: quia lectio publica nulli
Subiecto juveni Classibus, ulla patet.
Ponè Professores, præceptoresq, sequuntur
Discipulos, culta subdita membra Scholae.

HO SP. Vnde sed illa cohors, quæ Classica nomine fertur,
Huc egressa venit? pergere quòve cupit?

SPVD. Tota caterva fuit docto collecta Lyceo:
Ex quo progrediens huc movet illa pedes:
Est ubi vestibulum notæ, quam cernimus, arcis:
Et quam Præfectus nobilis urbis habet.
Hic simul expectant juvenes, juvenumq, Magistri:
Dum Clarii totus confluat ordo chori.
Agmen enim totum dicta se congregat arce:
Quisquis & ad pompam rite vocatus adit.

D. Magna

Magna vocatur enim prestantum saepe virorum
Copia, qui decorent annua festa Scholæ.
Huc igitur postquam cuncti venere: statiq;
Templa frequentandi temporis hora sonat:
Ordine procedunt ex arce: sacramq; sub eadem
Magnifica subeunt, qua gravitate, decet.
Hic chorus harmonico dulcis modulamine cantus
Concelebrat laudes, magne Jehova, tuas.
Organa pulsantur doctis resonantia palmis:
Motaq; festivo carmine templa tremunt.
Mox ubi concentus finitur, & organa cessant:
Ad populum Pastor verba diserta facit.
Dictaq; presenti que sint accommoda festo
Explicat, ex sacris eruta dicta libris.
Sancta suum quando sortitur concio finem,
Solvuntur grates, vota, precesq; Deo.
Nempe quod insultus contra, Sathanaq; furores
Asserat hic verbi dogmata sacra sui:
Tecta q; clementer nostri veneranda Lycei
Omnipotente sua protegat ipse manu.
E nostraq; sibi gratum legat agmine cætum:
Ipsius unde magis crescat in orbe decus.
Supplicibus votis idem, precibusq; rogatur,
Lucida qui celi temperat astra, Deus:
Quò sacra celestis posthac quoq; lumina verbi
Hic lucere, sua pro bonitate, sinat.
Inviolata Scholæ tueatur membra: docentum,
Discentumq; sacro flamine corda regat:
Ut juvenes quidquid discunt, traduntq; magistri,
Laudibus æterni serviat omne patris:
Autoresq; diu, Mecanatesq; scholarum
Incolumes servet Noricaberga tuos.
Finitis igitur precibus, sacrisq; peractis,
Deserit egrediens ordine templa cohors.

Inter .

Inter & armatos cives utringq, locatos
 Tendit ad Aonia limina nota domus:
 Et conclave subit: quo non Academia majus,
 Multa licet teneat, splendidiusve tenet.
 Huc ubi perventū: Cathedram conscendit in altam
 Incluta Reſtoris munia quisquis agit:
 Sermonemq, gravem rebus, variisq, figuris
 Et nitidam verbis, ore disertus habet.
 Quando peroravit Reſtor: ſua premia tandem
 Diſcipulis aliquot contribuiffe ſolet.
 Scilicet aſcendunt veteri qui claſſe relicta,
 Altius: era novis ſub ducibusq, merent.
 Nam gravis inſtitui prius exploratio morum,
 Doctrina, ſtudii, judiciiq, ſolet.
 Claſſica ſubjicitur cenſura tota juventus:
 Ut det progreſſus provida ſigna ſui.
 Hic qui doctrinae laudem, vitæq, reportat,
 Ad loca promotus nobiliora venit:
 Argentiq, ſimul nitido conſlata metallo
 Premia doctrinae ſplendidiora capit.
 Hæc ubi magnificus, quo fas eſt ordine, Reſtor
 Contulit e Cathedra munera diſcipulis:
 Quattuor ex toto ſelectos agmine ſiſtit:
 Artis & ingenii quos dare ſigna jubet.
 Non multis igitur poſtquam pro tempore verbis
 Dixit, & explicuit quiſq, problema ſuum:
 Quintus a deſt juvenis, communi nomine grates,
 Quo decet, ac par eſt, ore modeſtus agit.
 Inprimisq, Deo: generoſis inde Scholarchis:
 Reſtori, reliquis ordinibusq, Scholæ.
 Nec non hoſpitibus cunctis: præſentia quorum
 Hos actus voluit condecorare ſacros.
 Hæc ubi Palladio ſunt cuncta peracta ſacello,
 Conſequitur ſinem concio miſſa ſuum.

HOS P. *Et sic finire dicis consueta Lycei*
 Festa, die Pauli, luce sacraq̄, Petro.
 SPVD. *Omnia non dixi: quæ restant, cætera dicam:*
 Si modo sermo ferat tædia nulla meus.
 HOS P. *Nil magis exopto, quàm rem cognoscere totam:*
 Quæ superesse refers, dicere quæso velis.
 SPVD. *Ægrediens tandem Rector, magniq̄, Scholarchæ,*
 Pieria relinquunt pulcra theatra domus:
 Hospitibusq̄, simul tendunt comitantibus, arcis
 Huc ubi conspicuæ tecta propinqua jacent.
 Ordo Professorum Dominos sectatur: in ades
 Turba redit juvenum sed studiosa suas.
 Dictus ubi cætus dictam pervenit in arcem,
 Præbentur variis prandia lauta cibus.
 Accumbunt: hilari celebrant convivium mente:
 Fragrantiq̄, bibunt pocula plena mero.
 Derebus variis vario sermone loquentes,
 Facundis referunt mutua verba sonis.
 Et ne quid desit: præstantes arte canendi
 Artifices dulci carmina voce canunt:
 Blandisonisq̄, animos simul, & concentibus aures
 Suaviter afficiunt, tristitiamq̄, fugant.
 Verùm post epulas tandem, mensasq̄, remotas
 Convivæ quid agant, fortè rogare queas.
 Area sub medio latè patet ampla Lyceo,
 Quam gelidus decorat fons salientis aquæ.
 Hic condi scenis aptum, ludisq̄, theatrum,
 Ludis, qui fient hac quoq̄, luce, solet.
 Solenni siquidem dantur spectacula more
 Comica: vel tragicis instituenda modis.
 Ad quæ concurrunt cives, juvenesq̄, senesq̄:
 Docta cohors juvenum, cætus & artis inops.
 Cum patribus nati, matres, teneraq̄, puella:
 Et quicunq̄, moras hospes in urbe trahit.

Huc

Huc quoq; magnificus Reſtor, proceresq; Lycei:

Atq; Professorum docta caterva venit.

Deniq; poſt ludos foccis, gravibusq; cothurnis
Transactos, plaudit quiſq;, reditq; domum.

Ac ita finitur ſero cum veſpere feſtum,

Olim quo Clariis eſt Schola aperta choris.

HOS P. At quid id eſt? blandus penetrat quis clangor in au-
Qua tuba dat dulces, tibia quæve ſonos? (res?

SPVD. Expecta: totum mox progredietur ab arce
Agmen: & accedens templa ſacrata petet.

Aspice: jam totam cernis procedere turbam,

Aulædi præeunt quam Nerobergæ tui.

Hi ſunt, qui rubris induiti veſtibus edunt

Buxo, letificis carmina pulcra modis.

HOS P. Ille quis eſt, cuius gemmata monilia collo,

Ex auroq; triplex nexa catena micat?

Hunc dico: graditur qui primus in ordine primo:

Cuiq; nitens juveni vernat in ore decor.

SPVD. Huic patriam, priſca comitum de ſtirpe creato

OSTROGIADVM, Sarmatis ora dedit.

Hic Academia rexit quoq; frena per annum:

Impoſitiq; tulit grande laboris onus.

Publicus hinc illi, qui præviſus ire miniſter

Conſpicitur, præfert aurea ſceptra manu:

Inclyta Pegæſei quæ ſignant regna Lycei:

Munia Reſtoris magnificiq; notant.

HOS P. Quinam Reſtorem tanta gravitate ſequuntur,

Eximia geniti ſtirpe, domoq; viri?

SPVD. Percenſere tibi reliquorum nomina vellem:

Sed fieri præſens temporis hora vetat.

Ipſe ſubintrabo ſacras jam protinus ædes:

De meliore mihi proſpiciamq; loco.

Hac quia luce cohors infert ſe plurima templo:

Vt nequeat certum quiſq; tenere locum.

*Ergo vale: & verbosa boni mea consule dicta:
Festa tibi quibus est notificata dies.
Hosp. Est quod agam toto summas tibi pectore grates,
De sermone tuo, colloquioq; Vale.*

**A D E V N D E M I L L V.
S T R E M A C G E N E R O S V M
C O M I T E M , I T A L I A M , G A L L I -
a m , & a l i a s t e r r a s p e r l u -
s t r a t u r o .**

Ὁδηγὸς εὐάγγελος.

E*rgo novenarum Comes, inclyta fama, sororum,
Ac Ostrorogia stella corusca domus:
Nunc age, rumpe moras: ac gressum pone sequacem
Matura: Dominus dux erit ipse via.
O Comes, eximia quamquam te fulgida gentis
Gloria siderei tollit ad astra poli:
Et praelustre satis genus antè celebrat avorum:
Nec sinit aeternum stemma, decusq; mori:
Vis tamen ingenii, laudumq; arrecta cupido,
Avo te dignum, te statuentq; domo.
Magna quidem laus est, magnis natalibus ortum
Esse: retroq; genus posse referre suum:
Et res majorum vel Martis tempore gestas,
Tempore vel placida, commemorare, toga:
Est tamen hac major, propriis qua condita factis,
Virtutum titulis nititur ipsa suis.
Hanc, generose Comes, laudem venaris: & amplo
Stemmata contentus non cupis esse tuo.
Quin genus, & proavos, & qua non feceris ipse,
Censeri verè non tua posse putas.
Inde Medusei castissima numina fontis,
Qua decet, insigni relligione colis.*

Doctri-

Doctrinasq; tibi celebres, & splendida lingua
Multiplicis magno dona labore paras.
Sic tua virtutum mens ignibus aestuat intus:
Vt flagrat accensis Sicilis Aetna rogis.
Externosq; cupit populos, ac climata mundi
Visere, diversis & sita regna plagis.
Scilicet haud uno latitat sapientia tractu:
Illa sed in multis est quasi sparsa locis.
Qui sapit, hanc cunctas solet indagare per oras,
Per varios casus, per variasq; vices.
Nec peregrinandi quos talis suscitatur ardor,
Numinis auxilium destituisse solet.
Jamq; Deo mandante, ducem me sisto viarum:
Adjungo Comiti me comitemq; tibi.
Ipse Deus, cui grata peregrinatio, virtus,
Quamq; flagrans vera provocat artis amor,
Praestabit contra te cuncta pericula tutum:
Incolumem patrio restituetq; solo.
Maeste comes virtute tua, sic itur ad astra:
Ingenii nitido lumine, maeste Comes.
Carpe vias laudi stratas, fama; perenni:
Nullaq; propositum res remoretur iter.
Prosper abi, felixq; redi: spem vince: JOANNIS
Et supera fratris maxima dona tui.
Dum loquor, ecce vocat nos blandior aura: secundet
Omnipotentis iter gratia larga patris.

M. Casparus Odontius.

Deus fit Comes,
COMITI ILLVSTRI AC
GENEROSO, NICOLAO
OSTROROGANO.

Ducitur angelico Lothus velut urbe ministro
E x Sodoma, in cineres cum redigenda foret:
Vtq̄ sacer cæli demittitur angelus axe,
S anctos in medio seruet ut igne viros:
Sic precor, angelica Deus ut comitate caterua,
I pse tibi esse velit duxq̄ comesq̄ via.
Teq̄ peregrinis saluum tueatur in oris:
C uncta pericla procul, fataq̄ dura fuget.
Optatum patriæ faustumq̄ reducat in orbem,
M ultipliori rerum cognitione gravem.
Et longos acti tandem post temporis annos,
S telligero civem te sinat esse polo.

M. Georgius Glacianus,
Professor Academiæ
Altorphianæ.

Ga 4031

ULB Halle 3
003 564 959




TA → OC

H2, 21. ↑

指 京

NE







Q. 3158 3.
*AD ILLVSTREM AC GE-
nerosum Dominum, D.*

NICOLAVM COMI-
TEM OSTROROGANVM: AL-
TORPHIANÆ NORIBERGENSI-
um Academiæ Rectorem magnificum.

HISTORIA

PETRI ET PAVLI, SAN-
CTORVM CHRISTI APOSTOLORVM:
QVORVM DIE FESTO, QVI EST XXIX. IVNII,
Anno CIO IO LXXV. Schola Altorphiana
solenniter introducta fuit.

ITEM

DIALOGVS

HOSPITIS ET SPVDÆI,
DE FESTIVITATE SCHOLASTICA:
QVAE IN PERPETVAM REI MEMORIAM
celebrari quotannis, eodem die,
solet ibidem.

AVTORE

*M. CASPARO ODONTIO, IN
eadem Academia P. C.*

ALTORPHII,

CIO IO LXXXIV.